

credenda: & q. 14. de verit. ar. 1. post allatas quinque rationes, quas etiam in opusculo iā citato explicat, ita concludit, *Ex quibus rationibus apparet quod si oporteret per demonstrationem solummodo accipere ea quae necessaria sunt cognoscere de Deo; paucissimi ad hoc pervenire possent, & hi etiam non nisi post longum tempus. Quibus similia videre est li. 1. contra gentes cap. 4. Confer etiam in 2. 2. q. 2. ar. 4.*

CONCLUSIO II.

QUOD attinet ad singulos hominum; reuelatio eorum veritatum quae de Deo naturaliter sciri possunt, est eis necessaria a principio, *Quaedam sunt*, ait B. Thomas de 2o ar. 1. *ad quae etiam in hac vita perfecte cognoscenda possumus pervenire; sicut illa quae de Deo demonstratiue probari possunt; quae tamen a principio necesse est credere. Confirmatur, Illa cognoscibilia sunt remotissima a sensibus, ideoque alta est eorum profunditas & subtilitas: Cum ergo humani intellectus magna sit debilitas, praefertim a principio: consequens est quod homo non sit idoneus a principio ea cognoscere per rationem naturalem.*

Accedit, multa praerogativa ad illorum demonstrationem, quae homo non nisi longissimo tempore addiscere potest.

CONCLUSIO III.

PROCESSU temporis, non est singulis hominibus absolute necessaria reuelatio singularem veritatum naturalium de rebus diuinis; est tamen eis singulari necessaria ad bene esse. Illis enim qui veras habent demonstrationes quod Deus sit, quod vnus, quod huius mundi creator, & gubernator, non est absolute necessarium quod haec ipsa eis reuelentur diuinitus; sed necessaria est eis diuina istarum veritatum reuelatio, partim vt sine errorum admixtione ijs assentiantur, cum aliqui scientia quae de Deo naturaliter habetur, saepe admixtos habeat errores, nisi lumine supernaturali tollantur; partim vt cum maiori certitudine assentiantur. Maior enim est certitudo veritatum quas Deus reuelauit; quam earum quae per solam demonstrationem cognoscuntur, vt docetur 2. 2. q. 4. ar. 8. Insuper autem necessarium est quod qui demonstrationes habent, ita animo sint comparati, vt etiam illis diuinis veritatibus quas demonstratiue cognoscunt, assentiri velent, quamuis nullam de ijs demonstrationem habent.

AD 1. ARG. in primis RESP. quod talium veritatum notitiam nec omnes possint per rationes naturales habere, nec omni tempore; ideoque via fidei seu diuinæ reuelationis salubriter est provisā, quemadmodum concludit B. Thomas q. 14. de verit. ar. 1. & lib. 1. contra gentes, cap. 4. Ad praeterea potest, quod attentā humani intellectus post peccatum debilitate, homines absolute non possint omnium veritatum, quae de Deo naturaliter sciri possunt, notitiam certam & puram habere absque adiutorio diuinæ reuelationis: Nam & si illae veritates non excedant facultatem naturae, si ipsae considerentur singulae & sigillatim, omnes tamen simul sumptae videntur, excedere vires naturales hominis per peccatum corrupti. Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, Sap. 9. Vnde nullus affig-

ari potest qui absque diuina reuelatione, certo & sine errorum admixtione cognouerit omnes veritates, quae reuera naturali ratione possunt indagari, Consentiunt his Cuiuslibet ad hunc ar. q. 3. & Valquez disp. 1. c. 2.

AD 2. NEG. CONS. quia ista fidei comparatiui, conuenientius, & certius; non sumuntur comparatiue, sed positiue; vt verborum B. Thom. sensus sit, vt hominibus salus proueniat conuenienter, ita nimirum vt via salutis non tantum paucis pateat, ijsque post longum temporis intervallum, sed communiter omnibus, & secundum quodcumque tempus: Item, vt salus ei proueniat certo, hoc est, vt certam & indubitam cognitionem quae ad salutem necessaria est, habere possint; necessarium fuit quod de diuinis, etiam ijs quae ratio humana potest inuestigare, instruerentur per diuinam reuelationem. Qui sensus ex proximè antecedentibus colligi potest, vbi duo dixit: Vnum, quod a cognitione veritatis diuinæ pendeat tota hominis salus: Alterum, quod istius veritatis notitia non nisi paucis, & post longum tempus, & cum admiratione errorum hominibus proueniret, si per solam rationem humanam inuestigaretur, seclusā reuelatione diuinā. Eodemque pertinet quod 2. 2. q. 2. ar. 4. dixit necessarium esse, quod ea quae per rationem cognosci possunt, per modum fidei traderentur, vt esset indubitata & certa cognitio apud homines de Deo.

Si quis tamen contendat illos comparatiuos comparatiue esse sumendos, dicendum est comparisonem non referri ad modum salutis consequendae qui sit verus quidem, at minus conueniens & minus certus; quasi aliquis talis haberi possit absque reuelatione; sed ad cognitionem, eodem ferè sensu qui iam dictus est, scilicet vt hominibus salus proueniat cum cognitione conuenientiore, ad plures scilicet extensa, & non in longum tempus dilatā; & certiore, quae nimirum non habeat errores admixtos, necessarium fuit eos per reuelationem instrui.

AD 3. NEG. CONS. quia ceterae creaturae solum consequuntur finem sibi naturalem; homo autem ex diuinā bonitate ordinatus est ad finem supernaturalem. Ad probationem RESP. cum S. Doctore in prologo l. 1. sent. art. 1. ad 3. eam esse veram in illis quae acquirunt finem sibi naturalem & aequalem: Alioquin nobilissimum est consequi finem nobiliorem, etiam si per vires proprias haberi non possit, quam solum consequi naturalem, atque adeo imperfectum, licet is acquireretur per vires naturae, quemadmodum eodem ar. 1. tradit B. Thom. itemque 1. 2. q. 5. ar. 5. ad 2. & q. 14. verit. ar. 1. ad 5. Conferantur quae diximus 2. 2. q. 2. ar. 3. ad 7.

AD 4. RESP. naturalem de Deo notitiam quam aliqui Philosophi habuerunt, sufficere vt Deū aliquomodo glorificarent tanquam Deum, vt naturae scilicet Creatorem & gubernatorem, ac etiam vt ei tanquam tali gratias aliquas agerent; & si non sufficeret vt ipsum simpliciter tanquam Deum glorificarent vel ei gratias agerent, sicut oportet, eo nimirum voluntatis affectu quo ipsum super omnia simpliciter diligere vellet, atque ita iustitiae appropinquarent. Culpantur autem tanquam inexcusabiles: quia ne hoc quidem Deo praestiterunt ad quod naturalis quam habebant notitia, erat sufficiens; multo autem minus, id quod etiam per solas naturae vires non possent,

Textus explicatur.

De Philosophis qui Deum cognouerunt.

potest